Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36550
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

tibi sint inter omnes plus efficiaris pacificus. et filius dei voceris. Sed hoc fiet
postea quam bella transegeris. et adversarios subieceris. tunc tibi dabitur requies
ut requiescas sub vite tua que est christus ihesus. et sub ficu tua que est spiritus sanctus. ut
ita referas gratias deo patri omnipotenti. in ipso et domino nostro cui est gloria et
imperium cum sancto spiritu in secula seculorum amen. *mis tribubus.*

*Incipit omelia xvii. de eo quod scriptum est et iesus erat presbyter hoc est senior
et provectus in diebus. et quomodo hereditas per moysen data est duabus se-*

ETIAM ANTE NOS QUIDAM OB-
SERVANTES NOTARUNT IN SCRIPTURIS QUIA PRESBYTERI NON
ex eo appellentur quod longevam duxerint vitam sed pro maturitate sensus et gra-
vitate vite veneranda hac appellatione decorentur. maxime cum additur
ad presbyterum sermo iste qui sequitur plenus dierum. Si enim ex prolixitate appellandus
quis presbyter vel senior videretur. quem magis alium oportebat hoc nomine censeri quam
primum hominem adam. vel certe mathusalam aut noe. qui utique pluribus annis quam ceteri
in hoc mundo vixisse declarantur. Sed nunc videamus quod ex illis quidem nullus
a scriptura presbyter aut senior appellatur. sed his qui longe brevioris tempo-
ris vitam duxerunt. Primus in scripturis sanctis abraham presbyter vel senior appellatur. Dictum
est et ad moysen a domino. Elige tibi ab omni populo presbyteros quos tu ipse nosti quia presbyteri
sunt. Sed observa et tu o auditor in scriptura omni sicubi invenire potes hanc ap-
pellationem senioris et plenus dierum positam super aliquo peccatore. Hec ergo sancti spiritus
vox est pronuntiantis ihesum presbyterum vel seniorem et provectum in diebus. Ita enim
dixit. Ihesus maior erat presbyter vel senior provectus dierum. Quod utique de peccatore
dici non poterat. quia peccator non est provectus dierum. Non enim se extendens ad ea que
ante sunt. obliviscens ea que retrorsum sunt. sed semper retro convertitur. et ad vomitum suum redit.
et ideo non est aptus regno celorum. Qui autem semper ad priora extenditur. et ad perfectionem
fertur. iste provectus est in diebus suis. Et nunc ergo dicit dominus ad ihesum. Provectus tu in
diebus tuis. Nescio ego si in hoc loco illud potest videri quia hoc dicebat dominus ad ihesum
quod de etate eius senili omnis videbatur. et omnis novatur. Et quis sunt tam magna ista di-
vina responsa que hominibus deferuntur ut dicatur seni homini quia senex es. quod
omnis videbatur. et omnis novatur. Sed mihi videtur magnum aliquid testimonium a domino per-
hiberi filio nave cum ei dicitur quia provectus dierum es. et quantum quidem pro loqui nobis
vel aperire de divinis mysteriis fas est. ego arbitror quod sicut sol iste dies facit
mundo huic. ita et sol iustitie faciat aliquos dies spiritales qui fulgore vita-